









1713.

1. Bartholomaeus, Gebhardt Christianus : De successione viri  
ex lege Halensis
2. Bodinus, Henricus : Litterarum obligatio et Doctorum  
erroribus vindicatio.
3. Bodinus Henricus : De jure circa violentiam corporis  
aliorum iudicandam
4. Boetius, Iacobus Henricus : De privatis legatorum sacros  
2 Sept. 1729 - 1741
- 5<sup>9</sup>, 6<sup>10</sup>. Boetius, Iacobus Henricus : De sententiis in iuris iudicis.  
Tunc non transumptus. 3 Sept. 1713 - 1726.
- 6<sup>11</sup>, 7. Breitbaud, Jacob. Iacobus : De concubinatu, a Christo  
et apostolis prohibito. 3 Sept. 1713 - 1726
7. Hoffmannus, Fridericus : Dissertatio iuris iudicis. Sopha  
leges sententias exhibens.
8. Justus, Joh. Petrus : Oratio solennis de clementanda  
Germaniae pars prouincia iustitiae in iuri Doctorum  
i consuetudine recitata
9. Justus, Iohannes Petrus : Henricus ancepit, Iacobus ancepit  
2 Sept. 1713 - 1739

1713

10. Lusten, Dr. Petrus: Non bisgam, insignimus imperii  
l'um tabularum . . . respondabit.

11. Lusten, Dr. Petrus: Oppositoris iuris Romani et  
Graecorum i.e. Atticiana tabula . . . respondabit.



113

zu, hörte zu Peter - Thüringen wünscht und hat  
Wien folieren - vergeblich.  
Ludwig zu Hause - Alpenreise nach Tirol und die  
Wissensc. für die Alpen habe - vergeblich.

DISSE<sup>10</sup>TATIO JURIDICA INAUGURALIS,

Gr. g. num. 8.

De

# JURE CIRCA VIO- LENTIAM CORPORI ALTERIUS INFERENDAM,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

INCIP<sup>11</sup>E BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

IN REGIA HAC FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. HENRICO BODINO,

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS. CON-  
SIL. ECCLES. IN DUCAT. MAGDEB PROF. JUR. ORDIN.


ET FACULT. JURID. h.t. DECANO,

PATRONO AC PROMOTORE SUO ÆTATEM

DEVENERANDO,

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

CONSEQUENDI



Ad d. Septembr. M DCC XIII. Horis ante- & pomeridianis

Placido eruditorum examini submitit

JOH. GEORGIUS RINCKLEBEN,  
MARTISBURGENSIS

HALÆ MAGDEBURG. Typis Joh. Jacobi Krebsii, Acad. Typogr.



*Nobilissimis, Consultissimis  
atque Prudentissimis*  
**DOMINIS  
CONSULIBUS  
SYNDICO,  
PRÆTORI,**  
*NEC NON*  
**CAETERIS CIVITATIS  
MARTISBURGENSIS  
SENATORIBUS**  
*EXIMIIS,*

*Patronis atque Promotoribus  
meis debito venerationis cultu  
prosequendis.*

VIRI NOBILISSIMI, CONS  
ULTISSIMI ATQTE PRU  
DENTISSIMI,

*Patroni omni venerationis  
cultu prosequendi.*



T<sup>i</sup> si non paucæ sub  
ortæ mihi fuerint dubita  
tiunculæ, an nomen  
quoddam schediasmati  
huic tutelare præpone  
rem: illæ tamen quamprimum meliori  
bus cedere videbant rationibus, nul  
lus

lus remansit scrupulus, quin partus hu-  
jus Academicorum Patronos, præter Vos, a-  
lios jam querere debuerim. Nimirum  
quicquid in præsenti Dissertatione pla-  
cidæ eruditorum disquisitioni à me ob-  
latum, natum est in alma Fridericiana,  
quam literis humanioribus initiatu[m] pri-  
mùm adii & in qua per trium annorum  
spatium subsidium Vos mihi præbuistis  
literarium. Cum itaque hoc rerum sta-  
tu primi in vita mea Academica Patro-  
ni mihi fueritis, ut studiorum quoque  
meorum primitias censuræ jam Vestræ  
subjiciam naturalis pudor à me exigit.  
Benignis igitur manibus accipite scri-  
ptum, quod ideò Vobis lacrumi esse vo-  
lui, ut gratæ meæ devotissimæque men-  
tis tessera non plane nulla existat. Et  
licet me lateat, quæ studiorum præmia  
me imposterum maneant: nunquam

ta-

tamen profectò tempus erit , quo indi-  
gno collatum fuisse beneficium hoc Ve-  
strum jure conqueramini. Quod au-  
tem superest ardentissimis à Deo preci-  
bus efflagito , ut ipsius clementia dia  
Vos salvos incolumes atque florentes  
Civitati, Ecclesia, Gymnasio Vobis Ve-  
strisque conserveret , tueatur & augeat.  
Halæ Magdeburgicæ Calend. Septembr.  
A.O.R. M DCC XIII.

*Nobiliss. Vestr. Nom.*

cultor perpetuus

JOH. GEORG. RINCKLEBEN.



DISSERTATIONIS  
De  
**JURE CIRCA VIOLENTIAM  
CORPORI ALTERIUS  
INFERENDAM.**

**P R A E F A T I O .**



Is diu jamdum agitata Rerump. origo & fund.  
est in Republ. literaria, eaque non fuit Pi-  
nec in hunc usque diem de etas.  
terminata, quæ origo scilicet  
Rerumpubl. sit, quod funda-  
mentum. Sunt, qui propter  
religionem homines primum  
in Republicas abiisse afferunt, quod imprimis fe-  
cerunt Jesuitæ aliquæ Christianæ religionis secta-  
tores. Sunt, qui temerè atque fortuitò Respubl.  
fuisse ortas dixerunt, perinde ut atomi temerè con- nec casus  
fluunt, quam opinionem Epicuro adscribit Cicero fortuitus  
Lib. 1. & 2. de Natura Deorum. Sunt denique qui  
mortales instinctu quodam naturæ in Respubl.

A 2

pri-

*nec natura-  
lis insinclus* primum redactos fuisse per vadere nobis conan-  
tur, quod principium præcipue secutus est *Cicero*

*Lib. 1. Offic. i. & Aristoteles L. 1. Pol. 2. & 3. Pol. 4.* Quas

*nec Musica  
nec cœli  
injuria.* opiniones singulatim refutare vel aliorum adhuc  
nomina, qui vel Musicam vel cœli injurias funda-  
menti loco posuerunt, *Horatius Lib. de Arte Poëtica.*

*Ovidius Lib. 1. de Metam.* in medium proferre animus

quidem jam non est, illud tantum profiteor, me

illorum arripere partes qui originem atque fun-  
damentum omnium Rerum publicarum studium

conservationis corporis ac vita esse statuunt. Ni-

mirum postquam homo nudus atque inermis in

hujus vitae ærumnas ejicitur, quasi ex naufragio

rebus omnibus amissis ; ipseque licet sui alias

sit studiosissimus vitaque propriæ maximè amans,

relictâ primâ amicitia, quamprimum luci expo-

nitur non nisi hostes atque inimicos, callidos at-

que stupendos invenit, alienis jam viribus & vita-

& corporis defensionem parare necessum erat,

ne nos occidat, quicunque nos invenit. *vid. Diff.*

*Dni Praef. de Jure Mundi.* Quapropter in Respubli-

cas abierunt mortales omni alias auxilio plane

destituti. Cum verò Respubl. ex diversis socie-

tatibus constans horrendum aliquod animal sit &

indomitum, & proinde in defensione hac vita &

corporis gravissimi non infrequentes in quavis

societate occurrant excessus, ita ut quorundam

injustitia attentatione in corporaliorum com-

missa non semper recte coérceatur, cogitanti de

materia disputationis Juridicæ thema hoc ma-

*In qua ho-  
mines fre-  
quenter ex-  
cedunt.*

(51)

ximoperè mihi commendabatur , id quod se-  
quenti etiam ordine eruditorum disquisitioni  
subjicio . Nimirum agam in præsenti specimine  
1. de Jure Imperantium in subditos ratione cor- *Dispositio*  
*Dissertat.*  
poris & vitæ . 2. Quodnam jus habeat Dominus in  
corpus servi , pater in corpora liberorum . 3. Qua-  
le jus competit marito in corpus uxoris . 4. Magi-  
stratui denique in corpus subditorum tam in causis  
civilibus , quam 5. Criminalibus , nec non 6. de ju-  
re privatorum in alterius corpus . Ut igitur & hæc  
quamvis exigua in Numinis divini gloriam cedant ,  
est quod ardentissimis suspiriis ab eo contendo .

Th. I.

**D**ostquam autem recensuimus originem *De Jure Impe-*  
& fundamentum civitatum nec non ex- *peratis in*  
cessus , qui in eis quoad violentiam cor- *subditos.*  
pori & vitæ illatam sœpius occurruunt ,  
de Jure Imperantis in corpus subditi jam acturis ,  
ne vocis sono decipiamus , dispiciendum ante o-  
mnia erit quid per Imperantem intelligamus .  
Imperans hic est , qui summam potestatem exer-  
cere potest in subditos . Summa vocatur quia non *Per Impe-*  
agnoscit superiorem & consequenter , sive penes *rantem in-*  
plures resideat illa , sive penes unum forma tamen *telligitur*  
gubernationis naturam potestatis non mutat . *Guili-*  
*elmi van der Muelen Comm. in Grot. de Jure B. & P. L. 1.* *summa pot-*  
*elas.*  
c. 3. §. 8. Huicque potestati in Regibus neque Ca-  
pitulatio præjudicat , modo iudicio certo in ea se  
non submiserint , neque fœdus etiam obstat sive  
æquale sit sive inæquale , immo licet alter alteri Im-  
peran-

A 3

perantium tributum solvat, vel subditis promittat, quod ex consilio magistratus omnia expedire velit. Omnia enim hæc summitati ipsius non derogant, sed in subditos potius deficiente superiori re absolutum retinet imperium; & si quid promissum subditis, testamento tamen tantum est simile quoad effectus externos, cui clausula adjecta derogatoria, qua non obstante illud mutari potest. l. 4. ff. de adm̄t. vel transf. leg. l. 6. §. 2. ff. de Ju-  
re Cod. l. 22. de leg. 3. Non autem Reges solum sed nostri etiam Principes in Imperio potestate tali gaudent, quam plenam habent subditis suis impe-  
randi & in libero hujus juris exercitio ita stabiliti firmatique sunt, ut à nullo unquam sub quoconque pretextu turbari possint vel debeant.

*Instrum. Pac. Osnabr. Art. VIII. §. 1. conf. quoque Rivizi Tr. de Ju-*

*re rigni.* Non desunt quidem exempla tam recen-

tioria quam antiqua, quibus subditi alicujus sta-  
tus imperii pro declinanda absoluta potestate in  
personam ac corpus ipsorum protectoria ab Imper-  
atore obtinuerunt, quamvis fatis discrepante suc-  
cessu. Sic enim N.N. Primarius quondam Episco-  
pi N. minister à Domino suo aliquot malefactorum  
inculpatus, postquam protectorium ab Impera-  
tori cum avocatione cause ad tribunal Imperiale  
ejusque singulari legatione factam insinuationem  
obtinuerat, jussu praedicti Ep. N. loco re-  
solutionis legato Imperatorio dandæ in præsentia  
eius capite truncatus est. E contra dum circa in-  
clinantem exitum præcedentis seculi Comes

N.N.

*Quatenus  
subditista-  
tum Imper-  
ii, prote-  
ctoria impe-  
rialia obri-  
nere possint.*

N.N. contra primarium ipsius ministrum inquisitionem instituendam decreverat, contra quam dictus minister Protectorium Cæsareum tanta autoritate impetrabat, ut duobus potentissimis vicinis Principibus ejus executio demandaretur, quorū unus ad declinandum commune statuum Imperii præjudicium huic negotio sese immiscere recusavit, alter vero manu militari defensionem dicti ministri etiam in territorio Dni sui sū scēpit, donec causa inter Comitem ejusque Ministrum & subditum in Judicio Imperiali Aulico determinata esset. Unde jam dudum Camera Imperialis quondam Spirensis inter gravamina emendandæ justitiae hanc distinctionem suppeditavit, utrum status Imperii, qui contra immedia-  
te sibi subjectum inquisitionem formare in ejusque personam aliquid decernere intendit principali auctoritate tam potens sit, ut vel per Appellationem vel per Imperiales Commissarios, singulariter exorandos, gravato omnem inculpatiō-  
nem partialitatis adimere possit; an vero sub im-  
becillioris alicujus status imperio omnia a Con-  
filio & directione unius vel alterius ministri de-  
pendeant, qui aliam, quem sibi nociturum præ-  
sumunt facile inculpare & ne ipfos ultio feriat,  
ad extrema deducere possunt, contra quorum attestationes imperiali auctoritate opus sit; securus ac in potentioribus pluribus ministris unius au-  
toritatem non extimescentibus stipatis; quam  
distinctionem non rejiciendam existimo, nisi de-

atroc-

atrociori ac notorio crimine agatur, cujus vindicta pro tuenda pace publica domino territorii simpliciter incumbit, ita ut in capitalibus appellatio ab Imperii statu ad Imperatorem locum non inveniat.

## Th. II.

*Non vero hic  
sermo est de  
morali a-  
ptitudine*

Eiusmodi ergo summis Imperantibus, tali que potestate instructis in subditorum corpora jus aliquod competit. Ex quibus satis apparet, sermonem nobis jam non esse de morali quadam aptitudine, ut nocens ab innocentibus tantum puniri possit & debeat *Hugo Grotius de J. B. §  
P. L. 2. c. 20. §. 3.* illamque condemnationem autoritatem non habere, ubi qui damnandus esset, damnaret. *Id. l. c.* Nam quoniam in Statu naturali viventes omnes sibi æquales existunt, & idcirco alter in alterum tales qualem diximus potestatem non habet vel imperium; nisi vox superioris eo sumatur sensu, ut is, qui peccavit eo ipso se quovis alio inferiorem censeatur fecisse & quasi ex hominum censu detrusisse in censum bestiarum, quæ homini subjacent. Non quoque videtur per naturam ipsam determinatum, cui jure naturæ potestas hæc in alterius vitam & corpus debeat: Quin potius hoc jus communem inter homines cognitionem induxit, quæ ut alter alterum beneficio afficiat, non vero puniat, exigit. *l. 3. ff. de LL.*

## Th. III.

*neque de Im-  
perante.* Deinde quoque non loquimur de eo casu, an Imperans impune vim corpori alterius inferre pos-

\* (9) \*

possit: Quamvis distinctionem non improbem inter Imperantes cum illimitato & absoluto jure & illos quibus secundum præscriptam legem imperium concreditum. Nam sicuti priori casu tantum abest, ut cum *Grotio L. 1. c. 4.* sudditos majestati si iniquè fecerit posse resistere statuam, ut potius spirituali præsidio hic opus esse & conscientiæ Imperantis, qui judicem in his terris non habet, hoc relinquendum, cetera vero patienter ferenda & moriendum potius quam resistendum Principi, cum ab hujus forsitan salute integræ Provinciæ dependeant, meliusque sit unum pro multis quam multos pro uno mori: Ita si secundum Leges actus suos Princeps dirigere debet, tunc vel super actionibus suis in certum judicem competentem consensit, aut non. Posteriori casu propter defectum judicis eventus iterum Deo unice committendus erit, priori autem sub periculo admitti imperii abstinere debet ab omni saevitia nimiaque prægravatione nec via facti adversus subditos, sed via juris regulariter procedere atque sic Imperatorem imitari juxta ejus promissionem *art. 14. cap. Joseph. conf. Dn. Horn. Jurispubl. Prud. cap. 6. §. 1.*

#### Th. IV.

Sed potissimum de justitia nobis agendum e- Sed de Justi-  
rit circa violentiam corpori inferendam, quæ si ac circavio-  
melius obtineri non potest, quam si finis pena-  
rum probe observetur, præprimis inter inge-  
nuos pariter homines, hi enim quoad vitam &  
leviaria.

B

cor-

corpus summæ potestatis arbitrio immediate tantum subjacent, ad Utilitatem Reipubl. cuius conservatio Principi cordi est. hinc Nobilis licet ratione prædii quod possidet inferiori magistratui sit subjectus, *dass er Amtsäig ist / in personalibus tamen, & multo magis, quæ corpus & vi- tam ejus concernunt, nemini quam supremo ma-*  
*gistratui subest. Neque etiam puniendi tales sunt tantum puniendi causa Grotius de Jure B. & P. L. 1.*  
*c. 20. §. 6. quia vindictæ cupiditatem hoc saperet;*  
*sed ejusmodi remediis violentis Princeps quasi in- vitus utatur necesse est ut Medicus medicina. Sic- uti enim hic sine causa non urit non secat, nec remedia applicat, si finis obtineri non potest: ita quoque ad rebellionem non aptius inveniri pot- est incitamentum, quam si Princeps relictio poena- rum justo fine spretaque Aristotelis monito pa- trio more non sumit supplicia, sed crudelias exco- gitat Hobbes. de Cive cap. 13. Nonnulla itaque deli- cta etiam ita sunt comparata, ut non semper anim- adversione in corpus coercenda, sed pro utilitate Reipubl. vel condonanda more Romanorum, qui sub specie honoris removere aliquem didice- rant; vel quoque dissimulanda arg. L. Un. C. Si quis Imper. mal. Quod si autem Princeps videat, quod alio modo conservationi suæ Reipubl. consulere nequeat, quam ejusmodi animadversione in cor- pus subditorum delinquentium, summa ipsius potestas merito interponenda, vulnusque ipsi immedicable ense recidendum, ne pars sincera- tra-*

trahatur ad perniciem. Ex quibus simul constat, idem quoque juris non in suos solum sed in exteris quoque suos subditos vel salutem publicam offendentes Principi competere, non vero in illos qui extra suam Rempubl. deliquerunt, hi enim in alio territorio puniri non debent, quod delictis suis non turbaverint vel Principis summittatem laeserint. Et negativa nec jure Civili nec jure Canonico fundata est vid. Grazz ad defens. reorum Defens. cap. 14. §. 1. & 8. & juxta hanc opinionem inclytam Facultatem hujus Academiae olim respondisse à Dno Praefide relatum accepi.

## Th. V.

Et haec omnia in antiquis Romanorum iudicis capitalibus accuratissime observata sunt. Habebant in his causis Duumviros, non sacerdotes puto à Tarquinio institutos, neque Navales, neque Municipales, qui colonias in provincias bello partas deducebant, de quibus omnibus conf. Resinus Antiquit. Rom. Lib. 3. c. 24. & 40. sed perduellionis à Tullio Hostilio cum in finem creatos, ut perduellionem judicarent, postquam Horatius Victor Urbem ingressus sororem obviam euntem & lacrymantem unumque ex Curiatiis interfecisset Id. Lib. VIII. c. 37. Aderant Proconsules qui plenissimam in provincia Jurisdictionem habebant. cum omnium magistratuum urbanorum partes ad ipsos pertineant l. 7. §. ult. l. 8. 9. pr. ff. de off. Procons. Habant Praefides, qui Jurisdictione Crimi-

*Quam prob  
observarunt  
Romani.*

nali meroque Imperio gaudebant. *conf. 1. 1. ff. de off. Prof. l. 1. 12. C. de off. Rect. Prov.* de Clarissimorum & spectabilium Criminibus solus Praefectus Prætorio cognoscebat in Urbe, in Provinciis summus Judge provincialis *l. 16. C. de dign.* *Meier C. I. A. L. 1. ff. Tit. 9. §. 15.* Quos omnes cum reliquis magistratibus eorumque officiis prolixius hic referre jam non vacat.

## Th. VI

*Quid juris  
Domino in  
servorum  
corpora.*

Familiam magnam excipit status herilis, cuius intuitu homines in liberos & servos dividuntur, quam distinctionem jura non tantum humana sed sacrae etiam Pandectæ tam Veteris quam Novi Testamenti approbant. *1. Cor. 7. 1. Tim. 6. Eph. 6. & Petr. 2. Epist. 2. Gen. 9. 25. 26.* Quid servi fuerint & an hodie etiam adhuc habemus in Germania prolixè jam non dispuo, cum accurate satis & eruditè *Ill. Dn. Thomasius hoc in Comm. Inst. Tit. de Jure Person.* servos & olim & adhuc in Germania esse non solum affirmaverit, illudque ex Hertio de hominibus propriis & Dattio de Pace publ. deduxerit, sed ad oculum quoque demonstraverit, quid Bodino neganti *1. de Rep. 6.* errandi occasionem præbuerit. vid. quoque *Dni Prof. Addition. ad Rhet. Medit. ad Inst. Disp. 4. Pos. 13. & seqq.* Non enim obstat quo nomine veniant ejusmodi homines, sive enim Gasindos, sive Wildfangos, sive Kmetones, sive Bondons, sive novo Germanico vocabulo homines proprios *Leibigenæ* appelles, perinde est: sufficit eos non esse ingenuos, sed vilia semper bulco-

bulcorum, custodum equorum similiumne sustinuisse officia, ad officia Romanorum servorum nunquam comparanda. *Illi. Dn. Thomaf. c. l.* Quod si autem calculum tuum mihi adjicere adhuc dubites, velim oculos tantum paulo accuratius infixos habeas in eis Germaniae locis, ubi ejusmodi homines proprii vitam degant. Hoc quidem certo certius est, in aliis lenius in aliis durius tractari, sed interim tamen ab antiqua servitute qui in Ducatu Megapolitano, in Westphalia, in Silesia, in Lusatia vivunt, parum vel nihil absunt. Non ipsi solum sed liberi in potestate Dominorum existunt, ad nutum domini servire debent, nihilque habent proprii, nisi quantum sagacitate suum defraudantes genium comparcere possunt. Et propter has rationes adductas Saxones quoque illos a dignitatibus, tribubus atque commerciis rejecerunt, cuius vestigia in vulgari literarum Nativitatis formula Grever Deutscher Art und niemand mit Leibengeschäft verbandt, sondern frey/ledig und los superesse videmus.

## Th. VII.

In hos servos Domini habebant Jus vitae & *Domini habet necis.* Cum enim servi ut plurimum magnam *bem jus vita* bonorum partem constituerent, non securus quoque ac alia bona mobilia aestimati sunt interdum plus interdum minus 20 aureis *l. i. C. Comm. Serv. Manum.* Totus itaque Domini erat servus, & quoniam dominium rerum potissimum in eo constituit, ut quis res sua pro arbitrio utatur, in sacra quo-

B 3

que

que scriptura eam ob causam expressè dicitur: quod si Dominus interficerit servum, & uno vel duobus diebus supervixerit, subjacere pœna non debet, eo quod sit pecunia illius *Exod. 21. v. 21.* Sed postquam saevitia hominum tanta ceperat incrementa, quanta solet esse cu[m] est maxima, & non solum Scythæ pro arbitrio servos visu privarent, ut fortius inflarent vulvas asinorum, dum mulgebantur: hinc enim copiosius lac extrudi credebat *Herod. l.3.* sed moratiores etiam gentes ut Romani ob levissimas causas & pro hubitu saepius mancipia sua ad bestias traderent, ratio status mutati apud Romanos requirebat, ut dominium hoc privatum dominio publico subjiceretur, nec fas esset re suâ in præjudicium salutis publicæ amplius abuti. Introducebatur itaque lex Petronia sub Nerone, quam Adriani, Antonini, Constantini M. constitutiones sequebantur; iisque una cum arcanis Cleri dogmatibus in Germania receptis *III.*  
*Dn. Thomasius l.c.* potestas Dominorum in servos etiam apud nos non amplius illibata est, sed jus licitum nobis potius ita detractum esse videtur *l.2.* in pr. ff. de his qui sunt sui. Quamvis ergo exinde absolutum jus vitæ & necis in homines proprios Dominis non amplius competit, sed illud ad publicas criminales leges sit restrictum, vix tamen dubitari poterit, altam patrimonialem Jurisdictionem in Germania exinde ortam esse, quare etiam non facile concedendum, ut illa ad alios quam in homines proprios, sub illo districtu habitantes exerceatur,

tur, nisi indubitata possessio plus juris tribuat. Et quamvis Constitutionibus Provincialibus continetur, ut alii e.g. Editui propter delictum à iudicio patrimoniali puniri possint, quod usque ad mulctam vel relegationem admittimus, tamen jus in corpus citra superioris autoritatem in tales concedi non deberet, quod Thema peculiari tractationi hic relinquo.

## Th. VIII.

Tale jus vitae & necis habebat etiam pater in suos liberos, illudque non Jure Romano solum l. 11. in fin. ff. de lib. & post lib. & l. fin. in fin. C. de P.P. sed & jure divino. Sic Isaac non defugit mortem, quam à Patre sibi imperari videbat. Gen. 22. & Jephtha privato arbitrio filiam ad mortem condemnabat, ut communem omnium fere gentium observationem taceam: conf. Sig. Baro in hist. Moscov. Diod. Sic. lib. 2. Joann. Hugo Lindschot in Relat. Ind. c. 26. part. 2. hist. Ind. Orient. Leo l. 4. Hist. Afric. Aelian. l. 5. c. 11. &c. Quoniam verò hæc P. P. non in atrocitate consistit sed pietate potius l. 5. ff. ad Leg. Pomp. de Parric: absque justâ causâ illos hanc exercere potuisse non arbitror l. 20. sqq. ff. ad Leg. Jul. de Adult. tantum ut & proindè D. Adrianus patrem in Insulam deportaverit, quod in venatione filium interfecerat ob adulterium cum noverca d. l. 5. ff. ad Leg. Pomp. de Parric. Quod autem ob causam occiderint liberos suos Romani, exempla adsunt plurima conf. Salust. in Catil. & Valer. 6. c. 2. Liv. l. 2. Val. l. 5. c. 8. Utut autem sit, sicuti & alias jam privata

Pater quoq;  
habebat jus  
vita & necis  
in liberos.

judi-

judicia omni jure prohibita fuerunt *I. non est singularis ff. de R. I.* & exemplum Biblicum *Deut. 21.* in praesenti magis placebat, ubi judicium in contumacem & rebellem filium senioribus tribuitur, executio vero omnibus civitatis civibus, & parentibus tantum honor relinquitur, ut eorum testimoniorum de degeneri filio credatur; ita hoc ius parentibus jam ademtum esse volunt omnes *t. t.*  
*C. de Patribus qui filios distr. l. 3. C. de P. P. l. Un. C. de emend. Prop.* ipsisque nihil aliud relictum, quam quod possint filios, si quid gravius deliquerint, castigandos offerre judici dicturo ex ipsius praescripto sententiam *l. si filius C. de P. P.* quo etiam collimat *JCtus in l. Inauditum 2. ff. ad L. Corn. de sic.* Inauditum filium Patri non licere occidere, cui tamen vitam dedit; utincommoda taceam, quae exinde orta sunt, ubi permulta liberorum peccata manent impunita.

## Th. IX.

*hodie patri  
competit  
disciplina  
Domest.*

Licet autem ius vitae & necis patri ademtum sit, permissa tamen est ei disciplina domestica, decens emendatio & potestas corrigendi; ut castigare filium jure P. P. non sit prohibitum, si pietatem patri debitam non agnoscit. Imo si aliter filius ad obedientiam redigi non potest per tempus aliquod ad morum correctionem meritò includitur & privatim detinetur *Schneid. Inst. ad Tit. de P. P. n. 27.* contra *l. Un. C. de priv. Carc.* in qua privati carceres fuerunt prohibiti. Sic Abraham Patriæ potestatis autoritate Ismaëlem domo ejicit

cit. Gen. 21. Naturæ enim leges etiam sic præscribunt: eriam si cædat, ex ædibus ejiciat, quo cumque modo puniat, fortiter tolerandum est, nec veniam filio largiuntur, ni paruerit pertuleritque. Pater enim est qui cæcidit, habetque potestatem faciendi in te quod vult, anquit Chrysostomus & Plinius in Panegyrico ait: Lex & vis naturæ semper in ditione parentum liberos esse jussit & uti inter pecudes sic inter homines potestatem & Imperium valentioribus dedit. Quamvis hos castigandi modos & disciplinam domesticam magis ad obsequium marri æque ac patri debitum l. 6. ff. de in ius voc: quam ad patriam potestatem referendos esse & inde etiam ad matrem & non patrem solum spectare verius sit.

## Th. X.

Quamvis vero concessum ordinariè non sit in vitam filii vel servi pro libitu constituere, interim tamen moderata correctio licita & permis-  
fa etiam adhuc hodiè mansit, si officium suum neglexerint, aut negligentes in officio fuerint; merito tamen observanda distinctione inter poe-  
nas serviles & coercitiones ad emendationem li-  
berorum pertinentes. 201. tit. C. de emend. liber. Vis  
privata enim in servos concessa est usque ad vir-  
gas & lora, quod si his Dominus servum affixe-  
rit, aut custodiæ causæ in vincula conjecerit, nul-  
lum criminis metum, mortuo servo suffineat.  
Modo ubique non immoderate jure suo utatur;  
tunc enim homicidii tantum reus est, si iictu fustis

*Domino in  
servos pot-  
etas admittit  
usque ad lo-  
ra Virgas.*

C

aut

aut lapidis voluntate eum occiderit: vel certo telo usus lethale vulnus infixerit, aliisque poenis corpus servi dilaniaverit, ut vitam relinquere necesse habeat. vid. l. Un. C. de emend. serv.

## Th. XI.

*Jus mariti  
in corpus uxoris quod  
non recipi possum*

Exposito Domini patrisque jure in corpora servorum & liberorum, abs re non erit de Jure mariti in corpus uxoris aliquid addere. Maritus quippe est caput familiæ, in eaque secundum Aristotelem se gerit ut Regem. Uxor est caro mariti & hic est Dominus uxor Gen. 3. 16. Sicuti autem inter Regem & subditos inter dominum & servum magna est differentia, ita quoque talpa profecto coeciorem eum esse oporteret, qui inaequalem maritum inter & uxorem obligationem esse non admittit. Hac inaequalitate autem praesupposita sponte jam fluit, maritum jure naturalis Domini aliquod jus in corpus uxoris quidem habere, non vero uxorem in corpus mariti. Hinc si moderatis plagis maritus uxorem castigat, id quod ex potestate, quam in uxorem habet potest secundum Nov. 117. c. 14. hoc jus non simpliciter ita reciprocandum est, ut & uxores maritos verberare & viris dominari possint. Sed si hoc imperium hanc injuriam mariti verberibus non repellerent ac refrarent, vecordes & viles atque hominis nomine indigni & maritelli essent. Carpzov. Pr. Crim. P. I. Ques. 12. n. 49. Quanvis haec omnia prudenter mariti relinquenda, qui optimè secum explorare necessum habebit, utrum uxorem verberare

rare

rare conduceat & quomodo & quando & ob quam causam nec ne. Ad pœnam verò agere uxorem non posse, certum est *conf. tit. C. de emend. propinq.* nec propter alapas decernitur statim separatio. Sed imprudenter tamen etiam maritos sæpius hac in re facere & verberando uxores vilissimæ conditionis homines sequi, quotidiana testatur experientia, quorum inconsultus fervor & malitiosus impetus erga imbecilles foeminas, quæ ad pariendos & nutriendos liberos in dilectione ab omnibus adversitate præcavendæ, meritis coercitionibus refrænandus, maritus tamen erga immorigeram uxorem jure suo utens non est puniendus.

*Th. XII.*

Sed videtur tamen etiam uxorem jus aliquod habere in corpus viri, ad minimum ratione debiti conjugalis. Cum enim homines liberorum procreandorum animo & voto uxores ducant, ut ex prole diuturnitatis sibi memoriam in ævum relinquant, *I. 220. §. 3. ff. de V. S.* Nec ad perpetuam virginitatem nuptiæ contrahendæ sint *gl. in I. plagiariu C. ad leg. Fab. de plag.* Maritus quoque debitum conjugale uxori jam denegare non potest; Sin autem deneget ad illud cogendus videatur *Brückner Decis. Matrim. cap. 22. n. 40.* præprimis cum & jus divinum uxori eatenus jus in corpus viri tribuat *I. Cor. 7. 13. 4.* verum dicta viri obligatio magis ad Theologicam admonitionem & ecclesiasticam censuram quam ad externam violentiam corpori inferendam pertinet. Et quælo qualis

*Uxor non  
habet jus in  
corpus ma-  
riti, ut cum  
ad deb. co[n]j  
possum cogere.*

modus coactionis hic obtineret? & quomodo maritus ad consummandum hoc debitum conjugale posset cogi? Non sane penitus carceris vel operarum publicarum obstinatum compellet, potius blanditiis hoc ab uxore impetrandum exemplo Raëlis. Uxor vero, cuius maximum & præcipuum munus est concipere ac tueri conceptum

*l. Queritur 14. §. 1. ff. de AEdil. Edict. l. 2. §. 1. C. de Ind. vid.*

*toll. cogi potest tanquam objectum patiens ad debitum conjugale à marito, hunc verò ad faci-*

*endum cogi posse reciprocè per rerum naturam est impossibile.*

## Th. XIII.

Et quod de coactione mariti diximus quoad debitum conjugale, idem quoque asserimus de violentia matrimonii consummatione. In sponsalibus adesse obligationem faciendi: faciam te uxorem, affirmant omnes & tamen negant effectum hujus obligationis alternativæ, qui §. 7. *Inst. de V. O.* legitur, ut scil. promissor vel adimplere promissum vel interesse præstare cogatur. Quapropter cum tales coactions difficiles frequenter solent habere exitus *c. 17. X. de spons. conf. Müller von gezwungenen Ehen* ad consummandum matrimonium non potest cogi sponsus, potius adiungendus ad præstandum omne Interesse, quod si non habeat in ære, luat in corpore, ut ita injuria in sponsam commissæ quantum fieri possit satisfiat. Et qui saliter etiam esse potest, cum jam demonstratum, quod ejusmodi coactions ad faciendum

dum per rerum naturam sint impossibiles? Neque etiam admittendum inter sponsum & sponsam intercedere obligationem conjugalem, ut vel censura ecclesiastica vel alias modis cogendi hic locum habere possint. Quæ opinio papali fundamento Sponsaliorum de præsenti superstructa, de quo vid. *Diss. Dni Pres. exhibens errores circa causas matrimoniales.* It. *Diss. Dr. Böhmeri de incongrua præxi Dissimil. spons. de Pres. & de futuro.*

## Th. XIV.

Familiis earumque partibus tanquam Rei *De Jure Ma-*  
publ. membris cum suis relatis juribusque com- *gistr. in Cor-*  
petentibus hucusque pertractatis, consequens est, *para subd. in*  
ut de magistratibus qui omnes has regunt, mo- *causis Civit.*  
derantur & gubernant, specialius quid agamus.  
Sicut autem magistratus consideratur vel in ab-  
stracto, ut potestatem illam significet de qua Pau-  
lus *Rom. 13.* inquit: omnis anima potestatibus sub-  
limioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à  
Deo; vel in concreto, quando eo ipso actum il-  
lum atque officium indigitamus, cui in præsenti  
hæc potestas incumbit: ita cum de summa pote-  
state Part. i. nostræ dissertationis jam disseruimus,  
planum est, antequam in actus magistratum pe-  
nitius inquiramus, causas prius civiles à crimina-  
libus secernamus & quod jus magistratus circa  
corpora subditorum in iis habeat agamus necesse  
est.

## Th. XV.

In causis civilibus Jure Romano præ cæte- *In Ius voca-*  
C 3 *tio*  
ris

vis statim in oculos incurrit in Jus vocatio, quæ omnium actionum instituendarum erat principium §. ult. Inst. de pena remere litig. Et privatâ olim autoritate fiebat, in tantum, ut si quis passim obvius in jus vocantia vestigia sequi ipsiusque formulæ Terentianæ sive Plautinæ: In jus veni! sequare ad tribunal! in jus ambula! aures benignas præbere recusaverit, obtorto collo ex quovis loco vineâ, balneo, theatro, solâ domô exceptâ l. 18.  
 20. & 21. ff. de in jus voc: rapi potuerit. conf. Obrecht Exerc. Jur. antiqu. de Rei vind. Sed tale jus in alterius corpus in tanta & maximè populosâ Urbe, ubi difficile erat adversarium rursus invenire, & quidem contra humiles & abjectas personas tantum concessum l. 19. ff. de in jus voc. quique nulla bona immobilia possidebant l. 19. ff. qui satisd. cog. apud nos nisi in casu vagabundi applicationem non recipit, ubi tamen magis si fieri possit securitas in ipsâ re quam in persona quærenda l. 7. §. fin. ff. de in jus voc. Magis ergo receptum ex l. ult. C. de in jus voc. cum simil. vid. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 5. Tb. 7. ut citationes publicâ autoritate expediantur ita quidem, ut licet quis præsens in judicio sit, ne spatium deliberandi ipsi adimatur, citandus sit. Nec etiam judicii permisum est extra casus in jure expressos vel moribus permisso tali violentia in corpus procedere & obtorto collo ad locum judicij aliquem rapi jubere, sed si hoc fecerit, actione iniuriarum conveniri poterit conf. B. Strykius U. ff. Mod. b. t. quod &c in criminalibus obtinet, si res aliter expediti, aut fen-

sententia in absentem executioni mandari pos-  
sit, nisi reus plane comparere noluerit *l. 8. C. quo-*  
*modo & quando jud. sent.*

## Th. XVI.

Major vero magistratuum in corpora subditorum potestas cernitur in eo, si quis jus dicenti non obtemperaverit. *tot. tit. ff. Si quis jus dic. ubi omnibus magistratibus Jurisdictionem vel inerum Imperium habentibus, qui Brunnemanno Commen. ff. b. t. majores dicuntur, concessum est, secundum jus potestatis suae jurisdictionem suam contra inobedientes defendere poenali iudicio i. e. incarcerationibus, mulcta, immisionibus pro ratione circumstantiarum & prout magistratus quilibet jurisdictionem suam optime tueri posse existimat. Qnod tamen tunc demum locum habet, cum quis improbo ausu executioni fese de facto opposuerit l. 1. §. 1. ff. Si quis jus dic. non obt. Nec aliter etiam per rerum naturam esse potest. Cum enim forma jurisdictionis substantialis in eo praëprimis posita sit, ut cuique quod suum est cum effectu tribuatur: sponte jam quoque exinde sequitur, ei cui jurisdictione data est, concessa quoque videri sine quibus eadem explicari non potest. l. 2. ff. de Jurisd. in tantum ut Jurisdictione propria sit magistratum, positoreque magistratu ponatur Jurisdictione, & posita Jurisdictione ponatur magistratus, parumque sit alicui jurisdictioni copiam competere sine effectu, quia alias esset inanis. Magistratus vero etiam in ipsa executione facienda ordinem*

*Si quis jus  
dicenti non  
obtemper.*

dinem in jure præscriptum observare debet. *v.d.*  
*Strud. Synt. Jur. Civ. Ex. 44. tb. 18.* nec unquam violenta corporis detentio concessa, quam si realiter expediri nequeat. Merito tamen pœnali judicio coercenda est resistentium contumacia. Et hujus quoque exemplum habemus in testibus, qui ad testimonium cogendi *l. 3. S. ult. ff. de testibus. l. 16. 19. C. b. t. Nov. 90. c. 9. tot. tit. X. de test. cog. Ord. Proc. Sax. Tit. 12. verb. durch andere erzittere Poen.* Interim in causis civilibus magis est, ut sub pena aestimationis litis, quam corporis prehensione testes ad testimonium cogantur. *tot. tit. de testibus cog. ibique Dd.* An autem eandem quoque potestate incoercendi contumaciam inobedientium judices dati habeant vel Commissarii, dubitant quidem non nulli, moti occasione legum *in Tit. ff. de officio ejus cui mand. est Jurisdictionis* occurrentium: sed cum ramen pleraque leges, quæ vulgo opponuntur tantum de iis, quæ sunt meri imperii, loquuntur, tenorem Commissionis ego potius inspiciendum esse putarem. Sicut enim hæc est strictissimæ interpretationis, ita quoque ex Rescripto eorum Commissioniali pateat necesse est, an potestas hæc contumaces pœnali judicio coercendi ipsis tributa sit nec ne. *Carpzov. Pr. Jur. sit. 2. Art. 3. n. 30.* Quod si autem dubium sit Commissionis Rescriptum, tutò ibis si secunda Committentis jussio expectetur. *Id. c. 1. n. 34.*

*De ventre  
inspiciendo.*

### Th. XVII.

Denique quoad causas civiles Jure Romano quo-

quoque Magistratus potestatem aliquam exercere potuisse videntur in corpora foeminarum prægnantium. Cum enim hoc jure privata autoritate saepius conjuges solerent divertere, de mulieribus repudiatis usque prægnantibus non infrequentes eriebantur lites facto divertio. Si ergo maritus putabat, mulierem quæ divertit ex se prægnantem esse, ad Prætorem illam vocare poterat, ut apud hunc interrogaretur. Si emanebat mulier vel respondere nolebat, marito partum non agnoscere licebat. Sin autem intererat, ut patrem se potius optet, remediis prætoriis cogebatur mulier negligens, ut a mulieribus non minus 5. probatæ fidei in domo honestissimæ foeminae posset inspici *l. i. ff. de Insp. ventre.* Si harum duæ vel omnes renunciarerint prægnantem videri, tunc persvadendum mulieri, ut custodes admittat, *d.l.* Si persvaderi si bi non patiatur, cogebatur iterum à Prætore & persuasio imponebat necessitatem *vid. gloss. in d.l.* Quæ omnia tamen hodiè cessant, ubi privata autoritate divertere non licet, nisi quæ dicta sunt applicare velis ad uxorem autoritate Consistorii separatam *conf. Dn. Bernigks Digesta Jur. Civ. Rom. T. I. pag. 96. § 5.* vel etiam ad viduam quæ propter ventrem bonorum possessionem impetrare intendit; ubi apprime observandum, quod contra invitam nulla violentia in corpus sit concessa, in tantum, ut missis ad inspicendum mulieribus ne quidem illam invitam tangere liceat, *l. i. §. 10. ff. d. ventr. Insp.* Ex quo simul apparet quod obscena verendorum inspectio, certis casibus ab obstetricibus facienda contra in vitam

D

in

in dictis legibus concessa haud sit: ad hanc enim non nisi in gravissimo crimine & post satis probata maxima indicia devenir potest. *Conf. Crim. art. 35.* & maritus qui non in falso deprehensam uxorem per obsterices visitari petat, injuriarum tenetur. *dict. 1. i. §. 8. d. v. insp.* Idem erit si jure mariti sine autoritate Magistratus & prævia cause cognitione tale quid attentaverit. *§. 5. bid.* Neque etiam ex impunita impotencia contra partes invitatas violenta corporis inspectione locum inveniet, cum pertaleam calamitatem & indispositionem ad matrimonium, libertatem & ius civitatis Romanæ, quod in immunitate a vinculis & corporis coactione consistit, non amittat. *vid. Act. Apost. c. 6. v. 37. & c. 22. v. 25.* Neque etiam talis inspectione ullum effectum habere poterit: vel enim coniux impunitam inhabilitatem ad coendum fatetur vel non, si prius nullis remedii ad violentam cohabitationem cum parte altera quæ inhabilitatem allegat, cogi poterit; si posterius ad convincendam partem alteram facile spontaneam inspectionem admittet, ut nulla violentia opus sit; Et sic in causis civilibus nunquam judices tam faciles esse deberent vel ad incarcerationem, vel ad violentam corporis inspectionem decernendam, sed si contravenerint injuriarum tenebuntur.

## Th. XVII.

*Dilectio Ma-*  
*gistr. in corp.*  
*solid. in*  
*cans. crim.*

Tantum autem abest, ut ob ullum pecuniarium interesse violentia corpori ingenui hominis inferri possit, ut ne quidem in Criminalibus illud licitum sit, nisi capitale quid commissum dicatur. *D.*  
*G. O. art. 8. junc. art. 11.* in tantum ut licet accusator, fe

se ipsum simili custodiæ obrulerit, tamen inculpatus  
incarcerandus non sit, nisi de capitali reatu judicij  
fides facta fuerit. vid. præprimis art. 6. dict. Conf. Ca-  
rol. vers. **carpo** sol. Et quamvis in locis allegatis  
de tortura tantum agi videatur, & contra vix dubi-  
tari possit hodiernos carceres non exiguam corpo-  
ri inferre torturam, magis est, ut ratio hujus Constitutionis  
etiam ad incarcerationem extendatur. Et licet alias illa, quæ salva vita ad corporis afflictionem  
vel perpetuam relegationem tendunt, etiam capitalia dicantur, & ad altam Jurisdictionem refe-  
rantur wen die Slage am Leib und Gliedern geschiehet. 4.10.  
41. O. C. Carpz. Pr. Crim. qu. 102. n. 178 immo in dicta Ord.  
Crim. art. no. Peinlich etiam dicatur, ubi quis existi-  
mationis jaetwampatitur, tamen contra ingenium  
non nisi de vere capitali crimine inculpatum captu-  
ra locum inveniet, eo quod civis Romanus cor-  
pore constringi non debeat. Quod cum tanti sit,  
tale imperium tantum exercebat jure Romano  
Regibus exactis populus, nemoque ipsius injussu  
in caput civis Romani animadvertere poterat. 1.2.  
§. 16. ff. de O. I. in tantum ut licet successu temporis  
postea quibusdam magistratibus speciali lege hoc  
concederetur, mandari tamen, exceptis causis in  
jure permisis absentiaæ nimirum & æquipollente,  
nequaquam potuerit. 1.1. §. 1. ff. de off. ejus cui mand.

## Th. XIX.

Sicuti autem in statu Monarchico illud est pe-  
nes summum Principem, quod in Populari perni-  
nebat ad populum: ira nec imperium quoque hoc  
sive Jurisdictio alta Principibus nostris deneganda

*Origo Jurisd.  
crim. hered.*

erit. Quo tempore hanc summari potestatem acceperint nostri Principes, & an uno eodemque momento hoc jus sibi vindicaverint vel diverso, aliis jam inquirendum relinquo, sed hoc tamen scire vellem, quo jure nobiles acceperint hoc merum Imperium & quæ origo sit Jurisdictionis eorum Criminalis hereditaria? Evidem tantum abest, ut alicui Nobili status controversiam hac in re formem vel alium beneficio possessionis privari intendam, ut potius ad defendenda eorum jura utile interdictum Ut Poffidetis, Injuriarum actionem, utile Interdictum Unde vi, Remedium Can. Redintegranda, utilern Confessoriam altaque remedia & beneficia Juris competentia pro ratione circumstantiarum cum Lauterbachio ipfis commendem Lauterb. Comp. Jur. Tit. i. Lib. 2. Si tamen dicendum est quod res est, Nobiles Jurisdictionem suam ulterius extendere quam par est existimo. Possessores prædiorum eorum, quæ Jurisdictionem hodie Patrimonalem eamq; Criminalem habent, ingenuos fuisse homines consentiunt omnes. Hi familiis suis gaudebant, nimurum servis, in quos jus vita & necis ab initio exercabant testante Tacito recepto etiam Christianismō. Ill. Dn. Thomasius d. Com. Arcanis autem Cleri cum sevitia Dominorum crescentibus, mancipia degenerabant in homines manumissos & antiquum jus vita & necis ad publicas criminales leges restringebatur, indeque orta jam est Jurisdictio Criminalis hereditaria, quæ in subditos tantum sive rusticos manumissos competere, ceteros vero delinquentes Principi aliive summæ Potestati relin-

linquere deberet. conf. nostr. Diff. Th. VII. Tam-  
tum enim abest, ut in corpus alicujus ingenui vio-  
lentia adhiberi possit, ut & si pena capitalis expu-  
blicis legibus ob gravius crimen sit irroganda, in il-  
la quantum fieri possit de libertate corporis con-  
servanda præcavendum sit; nisi tale quid com-  
missum, quo delinquens omni libertate privandus  
& in statuta servilem detrudendus ac sic vincetus  
cruciatis corporis subjiciendus sit, quod quam  
maxime in Crimine læse Majestatis locum habet.  
Inde e.g. Nobiles tanquam vere ingenui neque tor-  
turæ subjiciendi, utpote quod ad servos solum per-  
tinebat *tot. tit. ff. de quaest.* neque vincti ad patibulum  
aliam ve penam trahendi, nisi jure Romano maxi-  
mam capitis deminutionem meruerint, sed si morte  
puniendi sint, in libera corporis dispositione vel  
gladio vel bombardæ fulmine feriendi das Sie ent-  
weder frey und ungebunden enthauptet oder arquebusiret  
werden. Quo etiam pertinet, quod fustigatio seu  
potius flagellatio in ingenuum injuste decernatur,  
vid. *Const. Crim. art. 104. Diff. Dn. Pref. de abusu fusi-  
gationis &c.*

## Th. XX.

Restat ut de Jure privato etiam nonnulla ad- *De jure pri-*  
damus, perpendendo probé, quid extra patriam *ratio:*  
potestatem statumque herilem & conjugalem pri-  
vatorum alter in alterius caput animadvertere pos-  
sit. Nam licet jam supra dictum sit à nobis, judicia  
privata non amplius permitti, tamen defensio eō *De vi pri-*  
ipsò non denegatur, quā vis vi in continentí pro-*vata*  
pulsatur *l. i. §. vim diff. de vi & vi armata. Menoch. de*

*D. 3 arb.*

*arb. Jud. Quesl. Cent. 3. Cas. 277. n. 1. seqq.* Cum enim nihil omnium rerum, quæ gignuntur in terra, inventariatur, quod non habeat aliqua naturæ adjumenta, quibus se vindicat ab externis offenditibus  
*Carpz. Pr. Crim. qv. 28. n. 4.* & hominem homini insidiari nefas sit, sequitur quod fas sit, insidianti homini resistere, & debilitatio vulneraque illa merito excusentur, quæ defensor propriæ salutis vim privatam inferenti inflixit, eo usque, ut non dominus tantum cuique tutissimum debeat esse refugium atque receptaculum *I. 18. ff. de in jus vocando*, sed quovis alio etiam loco & quo cunque tempore defensio sit licita *Farin. qu. 125. n. 22. 23. 24. seqq.* non tamen quoad modum defensionis absque ullo personarum respectu, ut quidem multi Doctores putant  
*Carpz. Pr. Crim. Pars. a. d. q. n. 6.* Sic e. g. si Nobilis quidam à rusticis injuriis realibus invaderetur & hic pro illarum repulsione quendam eorum gladio perfoderit vel alio modo occiderit, à pena ordinaria immunis erit. Nobili enim gladius imperatoria autoritate concessus est, ut eō utatur ad sui defensionem. Quemadmodum igitur non contrainter Imperatorem, ita nec contra Imperatoris sanctos vi uti possum. Modo tamen & nobilis privilegiō hoc suō non abutatur, sic enim eō esset indignus. g. si in cauponā autor rixæ existeret aliumque gladio perforaret. Et ira quoque prouinciatum esse memini.

*De Defensiōne bonorum.*

*Th. XXI.* Non solum autem propriam salutem sed & bona cum alterius intercōne defendere licet. Eona Jure consuls dicuntur alter hominis sanguis *gl. in I. 4. verb. vitam C. de Adv.* eō, quod sicuti homo deficiente sanguine ita & defientibus bonis vitam sustentare non possit, & prouinde pecuniae

cunia appellatione omnia contineri recte dicit Imperator  
 in l. penult. § 1. C. de Conf. pec. & si quis eam nobis in vitis rapere cupit, pro illius possessione vim propulsare possumus  
 l. i. C. Iudeo vi. modo tamen hic semper ulterius periculum quoniam amissio rerum in consideratione sit. Si enim res tantum recuperare velim, non licet alterum occidere, quod nulla planè effet inter vitam hominis & bona consideratio l. 2. ff. de statu hominum. & l. 44. pr. ff. de Adil. Ed. Et hinc est quod à Struvio dissidentiam in m. de Vindicta privata statiente, quod debitor fugienti omnia que haberet possim rapiere; iudex enim hic non deficit. Detinere cum possum & magistratui tradere, privata autem autoritate nihil adimere, alias jus quod habui, amitto. l. Exatas 13. ff. quod minus causa. Et ex dictis simul appareat, causas hos probè distinguidos esse, si quis bona vi rapientem eumque resistenter occidat & si quis raptorem fugientem & in scapha forsitan sedentem mihique non resistenter ex longinquio scelopeto petat, ut animam effeat. Priori casu defensio rerum meorum cum vita corporisque periculo conjuncta fuit, & hinc impunitè occidere licet; alterum e contrario à pena immunitem esse non statuo, ita, ut quod de raptore dictum, idem quoque de fure sicut resistente intelligi velim l. 9. ff. ad l. Crim. de Sicari. Sed quid de fure nocturno sentendum? Lex Mosaica dicit, si fur ante solem orientem tibi quid ausert, potes eum occidere; queritur igitur an indicuisse hoc justum sit? In legge Mosaica concedi impunitatem certum est, exinde autem jus approbari, multum abest ut credam. Hoc dubio caret, cum in fure ratione nocturni temporis discerni non possit an ad furandum tantum, an vero simul ad occidendum venerit, presumi posse contra ipsum gravorem malitiam, ita ut ipse interfici possit tive telo si defendat sive non Corp. Pr. Crim. quæst. 32. n. 20. sed tamen notanter hic adjectum est vocabulum defendere. Hinc si fur minimè te defendat eumque jam in potestate mea habeam, ut resistere amplius

MIRABILIS ROMA

non

(32)

non possit & nihilominus occideretur, injustum esset & homicidii pena puniendum.

An vijus  
prata stu-  
pratorem  
possit occi-  
dere.

Th. XXII. Coronidis loco silentio præterire adhuc non possum, quid juris in Duellis & an vi stupratæ stupratorem occidere queat? Quod ipsum stupratam attinet, & an hæc sibi ipsi violentas manus inferre possit, hic jam non disputo, cum Rubr. Dissert. nostræ de Jure violentiæ in corpus ALTERIUS agat, nec necesse forsan etiam erit, cum Lucretiæ exemplum, prout à nostris scriptoribus refertur admodum raro accidat; sed hoc in quæstione est, an stupratorem possit ejusmodi stupratæ occidere? Moralista negant, quod castitas sicuti cæteræ virtutes in animo considereret, quæ vi compressa contra voluntatem suam non possit adimi & proinde stupratorem quoque non posset occidere. Cum vero ex Physicis notum, etiam in vi stuprata adesse voluntatem licet non antecedentem tamen consequentem, moralistarum non solum assertum videatur fallum, sed ex ratione etiam, quod stupratoris evenitum ignoret & incertum sit, an non ipsam stupratam finito acto occideret, vi stupratam stupratorem occidere posse statuo. Quod vero Duella spectat jure civili non solum illa prohibita i. Un. C. da gladiatoriibus penitus toll. Nov. 85. pr. sed cum etiam Reipubl. finis exigat ut hominis vita quieta sit atque tranquilla, nullò modò illa admittenda sunt, potius Magnorum Principum horum severæ prohibitiones submissæ exosculandæ, quamvis Constitutio Carolina quazdam Duella admittere videatur art. 129.


De Dænis.

Conclusio.

Th. XXIII. Et hæc de Jure circaviolentiam corpori alterius inferendam, licet multa adhuc de occisione adulteri & adulteriæ, de membrorum mutilatione, stigmate injurendo, castratione aliquique dicenda essent, differuisse sufficient. Si quæ fuerint in eis, quæ non satis recte scripta, mihi referro olim emendaunda, quibus tamen jam ipsa atas, & quod mihi hoc specimen in primis referendum sit, veniam pollicetur, Deo autem Triuno sit

*LAUS HONOR ET GLORIA.*





Halle, Dno. 1 1713

A-L

ULB Halle  
001 539 85X

3



56





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
*De*Gr. g. num. 8.  
1913  
3

# JURE CIRCA VIO- LENTIAM CORPORI ALTERIUS INFERENDAM,

*QVAM*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

*DN. FRIDERICO WILHELMO,*PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

IN REGIA HAC FRIDERICIANA

PRÆSIDE

*DN. HENRICO BODINO,*SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS. CON-  
SIL. ECCLES. IN DUCAT. MAGDEB PROF. JUR. ORDIN.

ET FACULT. JURID. h.t. DECANO,

PATRONO AC PROMOTORE SUO ÆTATEM

DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES

CONSEQUENDI

Ad d. Septembr. M DCC XIII. Horis ante & pomeridianis  
Placido eruditorum examini submitit*JOH. GEORGIUS RINCKLEBEN,*  
MARTISBURGENSIS

HALÆ MAGDEBURG. Typis Joh. Jacobi Krebsii, Acad. Typogr.

